ORIGENES

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fluenta miscentem. cum MARIA et ioseph querentes
inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum. au
dientem et interrogantem eos. quando admirabantur omnes
super responsis eius. Sed ibi fortassis species forme huius expletur.
ubi ascendens in montem docebat populos et dicebat.
dictum est antiquis. non occides. ego autem dico uobis. omnis
qui irascitur fratri suo sine causa. erit reus iudicio. Et
dictum est antiquis. non adulterabis. ego autem dico uobis.
omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam iam
mechatus est eam in corde suo. In quantum ergo doctrina
hec eius illa precellit antiquam. in tantum sponsa intelli
git ac pronunciat bona esse ubera eius super uinum. Sed et quod
uenit filius hominis manducans et bibens. dicunt.
ecce homo uorax et uinum bibens. ad hoc nihilominus
respicit. Tale et illud puto fuisse in chana galilee.
quod bibebatur in conuiuio nuptiali. quo deficiente.
fecit ipse aliud uinum. cui testimonium reddidit
architriclinus cum dicit. Omnis homo primum uinum
bonum ponit. et cum inebriati fuerint. tunc id quod deterius
est. tu autem seruasti uinum bonum usque nunc. Sed et sa
lemonem qui per acceptam dei sapientiam in admirati
one fuit regine saba. que uenerat temptare
eum in questionibus. que sint in quibus eum regina eadem
miretur audi scripturam referentem. Et uidit inquit